

MINIMO IN MILLE, ET PARVULO IN GENTEM FORTISSIMAM,

SAPIENTIORI VIRO, CUI REVELATA SUNT ARCANA CŒLESTIA:

OMNIUM VIRTUTUM FONTI UBERRIMO,

OPERE MIRACULORUM, ET NON PLUS ULTRA THAUMATHURGO,

MINIMORUM DOMUS PERILLUSTRI CORIPHÆO:

GLORIOSISSIMO, IGITUR,

SS. P. N. FRANCISCO DE PAULA

D. O. S.

FF. MICHAEL DE SILES, ILDEPHONSUS DE LUQUE, ET DIDACUS PONZE,

HUMILLIMI TANTI PATRIS LIBERI JUCUNDIORES SEQUENTES THÆSES SCHOLASTICO-DOGMATICO-POSITIVAS.

Meritó quidem, Sanctissime P. N. Francisce de Paula, laboris, mentium nostrarum parcas, toto tibi alacri spiritu donamus primitias. Nam cui excelentiori viro, néc tam sapienti scientia Crucis, néc tam præclaro prodigiorum opere, neque dono virtutum intér Sanctorum Christi militiam plenissimé circumfulso? Cui etiám ferbentiori Patri operibus Charitatis exercendis ergá nos? Tu certé fuisti ille vir in lucem deditus á Domino in honorem, illustrationemque Jesu-Christi Ecclesiæ miserrimo illo sæculo, quo Protestantium *tenebræ operiebant terram, & caligo populos.* Quando Mulier illa Apocalipsis *circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis ejus,* populos supra ebriam satietatem, & bibere, & manducare invitabat, Lutherus nempé jejunij meritum de medio tollens erecto collo, & pingui cervice, suisque erroribus calculum addens hominis impassibilitatem ut in via salutis ambularet, & ad suam justificationem progrederetur. Sed tu, amatissime Pater, suffulcisti Ecclesiæ domum tuæ doctrinæ radiis, gratiaque roboratus, cum infirmior, tunc potens eras; in vita tua per abstinentiam á carnibus, & Moyse rigidiora jejunia, corroborasti templum. Quare Leo X. in tua Canonizationis bulla elogium de te justissimé prædicans, ait: *Novissime veró diebus nostris Cœlestis ille Agricola vineam suam more solito visitans, virum fortem ad hujusmodi vineæ culturam adduxit, gloriosum scilicét Confessorem B. Franciscum de Paula, qui inter cæteros Christi Athletas, suis meritis, & exemplis ipsam Sanctam Ecclesiam multiplicitér decoravit, præsentisque temporis caliginem suæ lampadis fulgore mirabilitér illustravit::: tanquam rutile Sydus in Ecclesiæ firmamento servaretur.* Et certé etiam sanctitatem Patriarcharum, Prophetarumque magnoperé competisti; obedientiam Noë, *qui inventus est perfectus, justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* Fidem Abrahæ, qui *non est inventus similis illi in gloria, qui conservavit legem Excelsi.* Zœlum Eliæ, qui *surrexit Propheta, quasi ignis, & verbum ipsius, quasi facula ardebat.* Constantiam Nehemiæ, *in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros eversos, & stare fecit portas, & seras.* Nequé minus ergó in miraculorum immensa virtute radians in tantum, ut nullus in Sanctis néc ante te, néc post te surrecturus est, meminimus. Hinc nos indigni filij tui semper, semperque voce quæremus penetrali: *Quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia?* Nos igitur potentia tua apud Deum jactanter fidentes, largam affluentiam donare digneris, tuaque sufragia experiri non hæremus, ut á Deo N. O. M. adipiscaris tecum in gloria sociari. Amen.

Die Prima Mané, et Vesperé.

I.

O infelicissimum humanus genus tot, tantisque miseriis profundé dejectum! *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum.* Datur in præsenti statu gratia sufficiens nitens in illustrationibus, & piis motionibus, quæ in concursu æqualis, vel majoris delectationis terrenæ, posse proximum, expeditumque præbet agendi relativé, ad illam delectationem superandam. Hæc tam justis, quam peccatoribus adsit, & ad vincendas graviores tentationes, & ad bonum, urgente præcepto operandum, malumque præcavendum. Obdurati veró, infideles, & idololatræ gratia sufficienti, saltém remota, adhuc non carent. Ideóque Domini præcepta nulli impossibilia reddi, toto animo, & mente asseveramus.

II.

Deus vult omnes, & singulos homines salvos fieri, *vocans nos de tenebris in admirabile lumen suum*, auxilio gratiæ efficacis, innitente præmotione morali, simúl & in phisica, tum & probabilitér in protectione Dei prohibentia removentis. Voluntas humana hac gratia cooperatur, nequé meré passivé se habet, ut inanimé quoddam; semperque in ejus supernaturalibus operibus libera remanet, *ut ad quod velit porrigat dexteram*, cujus libertatis essentiam in indiferentia activa consistere, firmitèr studemus.

III.

Homo ex se nihil est, quippé qui ex nihilo factus, ad nihilum túm naturę, túm peccati tendat ob ejus lapsum; *eramus natura filij iræ*, potestati diaboli subjecti, exulesque de Cœlo. *Deus autem (qui dives est in misericordia) proptér nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo*: cujus gratia habitualis, seú sanctificans á Theologis vulgo nuncupatur, justificans hominem, & ex inimico Dei, fit ejus amicus, ex filio ancillę, filius liberę, *hæredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Hęc igitur gratia est formalitér naturæ Dei participatio, *per quem magna, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hęc effitiamini divinæ consortes naturæ*, tutó á nobis pronuntiatur.

Die Secunda Mané.

I.

Certum est hominem innatis suis viribus veritates naturales agnoscere posse, *invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*; attamén homo absque gratia veritates supernaturales cognoscere non potest, ut pote suprá connaturalem intellectus creati virtutem manserunt: *non quod simus sufficientes cogitare aliquid á nobis, quasi ex nobis ipsis; sed sufficientia nostra ex Deo est*, cauté procedimus.

II.

Regnavit mors ab Adam, iste de voluptatis Paradiso per suam inobedientiam ejectus, donis omnibus supernaturalibus miserrimé fuit spoliatus. *Omne caput languidum, & omne cor mærens, á planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Homo ut suam justificationem acquirat, gratia absoluté ei necessaria est, & tam sanctificatio ab illo abest, adeó ut nequé initium fidei á nobis sit, nequé ad gratiam positivé dispositus, recté á nobis judicatur.

III.

In statu naturæ lapsæ homo sine gratia actuali, & habituali non potest in bono diú perseverare. Et licet sanetur homo quoad mentem per gratiam sanctificantem, caro tamen perpetuó concupiscit adversús Spiritum. Præceptum sæpiús urget, necessariaque est providentia Dei singularis, sine qua Anima in peccatum multoties ruit, *ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies*, unanimitér in hac disputatione convenimus.

Vesperé.

I.

Lapsus Adami, ipsiusque naturæ per peccatum defloratio totum naturæ bonum non corruperunt, ideóque peccator, qui gratia sanctificante caret potest aliquod bonum morale, saltem naturalis ordinis, facere. Omnia infidelium opera de facto peccata non sunt, *nam gentes, quæ legem non habent, ea, quæ legis sunt, naturalitér faciunt*, multa bona opera motivo honesto efficiuntur; & sæpissimé á Deo bonis remunerantur temporalibus, asserere non dedignamur.

II.

Iste homo legem naturalem absque gratia in aliquo operari potest, at verò sine auxilio Dei supernaturali totam naturæ legem adimplere non valet. Adsunt multa tam intrinsecus, quam forinsecus obstacula, ut á bono arceatur. *Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem*, etiam fatemur.

III.

Justificationis principium á nobis non dubitatur *sine fide autem impossibile est placere Deo*; veró non in notitia clara mysteria penetranti, ut volunt Protestantes; sed in assensu fidei rebus á Deo revelatis statuimus. Causa formalis justificationis, est gratia sanctificans, & permanens; efficiens autem phisica Deus; meritoria Christus; instrumentalis denique Sacramentum, libentér á nobis assignatur.

Litterarium Certamem parabitur in hoc Sanctæ Mariæ Victricis Cordubensi Cœnobio Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula, auxilium præstante P. F. Francisco de Matas Soto-mayor, et Guerrero in eodem Cathedræ Theologiæ Lectore. Diebus XXIV. & XXVI. mensis Maij, anni Dñi. MDCCCIII.

CORDUBÆ: EX TYPOGRAPHIA REGIA D. JOANNIS GARCIA RODRIGUEZ DE LA TORRE.